

1528 tiam Regis, mentem illius mitigando, imploratu-
 ctum a Patribus Collegii est, nulla id ratione, nisi præclaris,
 ac recentibus in Regem meritis assequuturos.

Quod vero Geuuenfes a rege se exemissent, Imperatorique
 accessissent, ut moleste Senatus ferret, non una aderat causa;
 præcipua vero, quod civitatem, e qua aditus ad Italiam pate-
 bat, satius Regi amico parere, quam Hispanis ducebat, ne
 quam per tot annos terrestribus copiis affligerant proyinciam,
 classe in Ligusticos portus, atque oras immissa, mari quoque
 vexarent; cum præsertim per omnium ora vulgatum esset, Cæ-
 sarem ipsum in Italiam cito venturum. Itaque Veneti nonnun-
 quam Genuenses hortari, ut Francisco potentissimo Regi denuo
 adhærerent, in quo vires ad suam tuendam libertatem exper-
 tuos; nec propensam in ipsos voluntatem desideratuos affir-
 marent: nonnunquam denuo Genuæ oppugnationem instauran-
 dam censebant, ut conceptas in Regis animo querelas dele-
 rent, quod suis copiis Theodoro Triultio subsidia non misis-
 sent: verum, neque anni tempus, cum media hyems esset,
 nec copiarum imminutus numerus id patiebantur. Iisdem de
 causis nihil adversus Mediolanum moliri, licet urbs annonæ ino-
 pia pressa, Antonii Levæ ægritudo, hostium vires labefactatæ
 mirum in modum allicere ad fortunæ aleam subeundam vide-
 rentur, crebrisque literis Senatus Urbinatem hortaretur, ne
 bene gerendarum rerum occasionem labi pateretur. Verum il-
 le parum viribus militum fidens, hyemis asperitatem veritus,
 nil tentari absque periculo posse arbitrabatur. Itaque fœdera-
 torum duces in hyberna deducere exercitus decrevere: Urbi-
 nas cum copiis Abduam trajecit, tutoque, & commodo loco
 castra posuit; Galli Alexandriam petiere, ut redintegratis viri-
 bus, appetente vere, prout rerum eventus exposcerent, con-
 filia caperent. In Neapolitano regno, Lautrechio defuncto;
 Salassiorum Marchione capto; exercitu fere deleto, adhuc Apu-
 liæ urbes, Tranium, Monopolis, Pulinianum, atque alia op-
 pida Reipublicæ parebant, eaque omni studio retinere Senatus
 decreverat: Barulum sub Gallorum potestate erat; ne urbs il-
 la in manus hostium, rebus omnibus in præceptis ruentibus,
 concederet, Joannis Viturii legati Veneti virtus, ac diligen-
 tia effecerat; qui cum in Manfredonia expugnanda nitere-
 tur,